

14 *Ἀντοκράτωρ Λέων αὐτῷ δήμῳ. Μήτε δοῦλον μήτε ἐλευθέρου σώμα τολμάτω τις εἰς προνοίαν προάγειν ἢ προΐσταναι, μηδὲ εἰ θυμηλικὸς εἴη ἢ ἄλλως σκηνικός. εἰ δὲ δοῦλον εἴη τὸ προσταχθέν, ἐκδικεῖσθαι εἰς ἐλευθερίαν παρὰ παντός προσιόντος δίχα τινὸς δαπάνης τοῖς κατὰ τόπον ἀρχουσιν ἢ τοῖς Ἱεροφιλισταῖσι ἐπισκόποις. Οἷς μελήσει τὸ μηδὲ ἀκουσαν γυναῖκα δούλην ἢ ἐλευθέρου συνεῖναι συγγαυρεῖν μίμοις ἢ χοροῖς ἢ ἄλλην θεῖαν ἐν τοῖς θεατροῖσι ἐκτελεῖν ἀναγκάζεσθαι.*

id est:

*Imp. Leo A. ad populum.*

Ne quis servum neve liberum corpus conetur ad stuprum producere aut prostituere, nec si thymelicus sit aut alias scaenicus. si mancipium prostitutum est, in libertatem evincatur a quolibet sine ullo sumptu locorum magistratus vel religiosissimos episcopos adeunte.

1 ¶ Quorum curae erit, ne quam mulierem servam sive liberam invitam interesse mimis vel choris permittant vel cogi, ut aliud spectaculum in theatris praestent.

1.4.15

*Imp. Leo et Anthemius AA. Nicostrato pp.*

Nemo vel in foro magnitudinis tuae vel in provinciali iudicio vel apud quemquam iudicem accedat ad togatorum consortium, nisi sacrosanctis catholicae religionis fuerit imbutus mysteriis. sin autem aliquid quoquo modo vel quadam machinatione factum vel attemptatum fuerit, officium quidem sublimitatis tuae centum librarum auri iacturam pro condemnatione sustineat, idem vero, quicumque ausus fuerit contra providum nostrae serenitatis decretum officium advocationis per subreptionem adripere et prohibitum patrocinium praestiterit, advocationis officio remotus stilum pro scriptionis atque perpetui exilii specialiter sustinebit: scituris etiam provinciarum rectoribus, quod is, sub cuius administratione aliquid huiusmodi fuerit attemptatum, partis bonorum dimidia proscritionem et poenam exilii per quinquennium sustinebit.

*D. pridie k. April. Constantinopoli Anthemio A. II cons. [a. 468]*

1.4.16

*Idem AA. Erythrio pp.*

Si legibus prohibita non sint speratae nuptiae et post arras sponsalicias sponsa coniugium sponsi propter religionis diversitatem recusaverit, si quidem probatum fuerit ante datas easdem arras sponsalicias hoc idem mulierem vel parentes eius cognovisse, sibi debeant imputare. si vero horum ignari sponsalicias arras susceperint vel post arras datas talis causa paenitentiae intercesserit, isdem tantummodo redditus super alterius simpli poena liberi custodiantur. quod simili modo etiam de sponsis super recipiendis nec ne arris praestitis custodiri censemus.

*D. k. Iul. Constantinopoli Marciano cons.*

[a. 472]